



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Framea.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

*A Macrobi-
indidem.*

*Deorum
Penatium
origo & in-
stitutio.*

eruditiores particulam, Et, ad expositionem positam volunt. Alii eos Jovem & Junonem esse volu-
erunt, horum enim præcipuum esse munus, juvare mortales, atque inde utriusque nomen. Alii Ca-
storem & Pollucem Deos magnos vocari periuasum habere. Sed quoniam in nullo deorum magis
quam in diis Penatibus & Poetæ & Historici occupantur, tum ipsa vetus Romanorum religio tam
multa, tam sæpe de his in medium protulit, haud quaquam ab instituto negotio alienum fecero, si
super his aliquid ex remotiore vetustate repetiero. Pallantis filiam legimus, cum Dardano in Arcadia
nuberet, dotis nomine mûnera Palladis attulisse, scutum quippe breve cælo lapsum, quod Palladium
appellarunt, cumque hujusmodi scuto, magnorum deorum simulacra. Orta autem seditione in Pe-
loponneso, Dardanum inde cum uxore & magna Arcadum manu vertisse solum, atque in Samo-
thraciam navigasse, ubi dotalibus muneribus templum erexit, quibus occultas instituit caeremonias,
ut sacra ea separaret à vulgi cognitione. Simulachra itaque in subterraneo specu condidit, quæ mox
cum inde in Asiam transmigraret, secum advexit, & in Dardania à se nuncupata collocavit. Ilius cum
Ilium ædificasset, eos deos ipsos transtulit. Aeneas ex incendio Trojano ablatus in Italiam venit, eosque
Lavinii posuit. Ascanius in suam Albam traduxit, pulcherrimo illis templo ædificato. Verum ajunt
sequenti nocte Penates, nullo ferente, Lavinium rediisse, ostia clausa inventa, parietes integros, &
tectum nulla in parte violatum: quo miraculo motum Ascanium, ajunt, sexcentos curatores Lavi-
nium misisse, qui sacra custodirent, præfectumque his antistitem Egestum nomine. Iidem demum
Romam translati cum urbem approbassent, nequaquam abierunt. Cumque eos Romani in urbis
Imperii sui custodes admisissent, ne per vim aut dolum auferri possent, eos in subterraneo, ut
Dardanus fecerat, specu, templo ibi dedicato, posuerunt. In quo quidem templo id præcipue rei-
gionis observabatur, ut spueret nefas esset. Ad hoc specu, & prælinum Dardani institutum, Virgilius
alludit, cum scripsit:

Æneid. l. 7.

Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Nam sacra Penatibus sine Vesta nunquam fieri solita, sed una cum Vesta semper illi colebantur.
Quid vero Vesta foret, declarat Naso:

Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige, flammam.

Et Sinon apud Virgilium, ubi se Penatum offensam vereri simulat, si patriæ secreta hostibus prodit, C
cujus cura Penatibus credita:

Æneid. l. 2.

Vos, æterni ignes, & non violabile vestrum.

Tellus numen, ait.

Sed quoniam de Vestali igne, & diis Penatibus alibi etiam differimus, hoc pro loco commemorat-
se sufficiat.

DII TUTELARES. CAP. XXX.

*Hinc Plau-
tus in Mo-
bellaria,
Nimio plus
sapio sedis.
Bila quid.*

Id vero tutelares eos esse ostendebat, quo sederent, quod pila gestarent, quod adolescentes essent.
Nam sessio hieroglyphicæ firmitatis & constitutæ rei consiliivæ signum habetur. Pila propulatio-
nem malorum, incommodorumque significant. Adolescentia incrementum, quod Imperio esset in
sapio sedis die accessurum. Quod vero genus teli pilum sit, à Vegetio ita describitur: *Missilia pedis stris exercituum
pila vocabantur, ferro subtili præfixa trigono novem unciarum, sive pedali, qua scutum infixa non possent
abscondi, & lorica facile percurrerent.*

DE FRAMEA. CAP. XXXI.

Frameæ vocabulum, & id genus teli, Germanicum est, de quo Cornelius Tacitus in Germano-
rum moribus in hunc modum scribit: *Hastas, vel ipsorum vocabulo Frameas, gerunt, angusto & bri-
vi ferro: sed ita acris, & ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel cominus vel eminus pugnent.*
Ita Eques scuto frameaque contentus est.

MORS. CAP. XXXII.

In Divinis literis framea, ut & alia telorum genera mortis hieroglyphicum habetur. Ita Theologi
eo Psalmi loco: *Erue à framea Deus animam meam.*

DE